

tocius Almanie anhelans bellum habere cum eisdem, sed ante adventum Alemannorum clamdestine recesserunt. Et dicebatur, quod ad instanciam Karoli imperatoris ibi venissent. Qui eciam tunc Argentine erat ad subiugandum et usurpandum sibi dominium tocius Reni. Ipse vero videns et intelligens ferocitatem (*hs.*: verocitatem) et voluntatem Almannerum timens, cum suis occultis nunciis intimans eis, ut cito recederent, ne ipse cum eis interficeretur ab Almannis.

Item eodem anno, scilicet domini 1355, decollacionis Iohannis baptiste fuit ventus validissimus, qui (*hs.*: quia) eradicavit arbores infinitas et destruxit sumptuosa edificia, turrim Sancti (*hs.*: sancte) Victoris prope Mogunciam, ecclesiam in Castel et quam plura alia.

Item huius tempore anno domini 1367. dominica proxima post festum decollacionis sancti Iohannis baptiste fuerunt fulgura maxima, ita quod monasterium beate Marie ad Gradus Maguncie totaliter exustum fuit¹⁾.

Huius eciam temporibus anno domini 1373. a festo purificationis usque ad messem solvit maldrum siliginis Pingwensis (*hs.*: pinwensis) mensure 4 libras Hallensium (*hs.*: lb' hall') in communi foro et quartale vini octo solidos Hellensium (*hs.*: sol' hell'); attamen non erat auditus aliquis talis defectus, quod aliquis hominum fame perisset. Sed sequenti anno maldrum siliginis solvit 8 solidos Hallensium (*hs.*: s9 hll') et quartale vini 1 solidum in communi foro.

* Wentzeslaus Karoli predicti filius, rex Bohemie coronatus * f. 238.
Aquisgrani anno domini 1376, patre suo Karolo adhuc vivente. Et apud electores ordinaverat idem Karolus predictum suum filium primogenitum eligi; sed potius emptus fuit quam electus idem Wentzeslaus. Nam pro hoc (*fehlt hs.*) dux Rupertus senior habuit Oppenheim, Lutram, Odernheim et Ingelnheim cum attinenciis ad vitam suam et suorum duorum coheredum eiusdem nominis. Archiepiscopus vero Treverensis Cuno de Falckenstein maximam pecuniam. Maguntina ecclesia fuit in discordia; sed pro parte imperatoris fuit Ludewicus marchio Missenensis ad ecclesiam Maguntinam per papam provisu ad sugestionem imperatoris²⁾. Sed iste Ludewicus ecclesiam Maguntinam non obtinuit nec habuit, sed Adolffus de Nassaūw eam potenter habuit et rexit unacum ecclesia Spirensi contra imperatorem et papam. Et confederavit se cum rege Francie, sed post desistebat.

Hic Wentzeslaus nichil boni egit, sed semper potacionibus et ribalderiis deditus. Propter quod et sepius per principes electores monitus et vocatus et pie correctus, sed in omnibus

1) Vgl. Chron. Mogunt. misc. p. 369.
misc. zu 1373, p. 373.

2) Vgl. Chron. Mogunt.